1642

Michaël Mekelburg.

# D. O. M. A.

# DISPUTATIO MEDICA
DE
# TERTIANA INTERMITTENTE, CUM INSULTIBUS EPILEPTICIS PERIODICIS, IN CERTO SUBIECTO,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
DN. CHRISTOPHORI TINCTORII,
Phil. & Med. D., Seren. Elect. Brand. in Boruss. Archiatri, & in Acad. Regiom. Profess. Publ., Fautoris sui plurimùm observandi,
Publico examini sistet
JOHANNES GEORGIUS STRASBURG, BERLIN.
In Auditorio majore
Ad diem 17. Jul. hor. à 7. matutin.

REGIOMONTI,
PRÆLO REUSNERIANO. ANNO M. DC. XLVIII.

# Cum bono Deo!

Q*Vanta ſit artis medicæ difficultas, cum* 1. aph. 1. *teſtatur Hippocrates, dum* vitam brevem, Artem verò longam *eſſe dicit: tum præſertim* in epiſt. ad Democrit. *ubi* ſe, quantumvis ſenem, ad Artis finem tamen nondum perveniſſe, *ingenuè fateri non erubeſcit. Quamvis vero multa ſint, quæ difficilem hanc Artem reddunt: Illud tamen præcipuum videtur, quod non hominem in ſpecie curamus, ſed e. g. Petrum, Paulum &c. in individuo; unde accidit, ut quæ huic vel illi morbo ſalutaria eſſe, generalis methodus dictitat; certo ſubjecto applicata, non rarò plus damni quàm emolumenti adferant. Ac propterea non ſufficit Medico futuro, generalem noviſſe medendi Methodum, & ſcire v. g. quomodo inflammatio aut aliqua intemperies ſit tractanda: Neq; etiam ſatis eſt, ad ſpecialiora deveniſſe, ac noviſſe, quomodo e. g. intemperies vel inflammatio capitis, hepatis &c. commodè curari poſſit: Sed ad ipſa tandem individua deſcendendum, & quomodo omnia certo ſubjecto applicari commodè & poſſint, & debeant, addiſcendum. Atq; hoc conſilio, caſus aliquam multos, à Clariſs. Dn. Præſide communicatos, reſolvere atque elaborare placuit, quorum unum publicæ cenſuræ nunc ſubjiciam, ita illum tractaturus, ut 1. ex ſignis diagnoſticis morbi ſpeciem conſtituam, 2. morbum & Symptomata ad ſuas cauſas reducam, 3. ſigna prognoſtica annectam, 4. indicationes, & 5. ipſam deniq; curationem breviter ſubjungam.*

CASUS

## CASVS.

HOnesta matrona, circiter quinquaginta annos nata, constitutionis melancholicæ, hepate calidiore, ventriculo imbecilliore, aliàs lienis affectibus, nec non uteri præfocationi obnoxia; Sæpè etiam antehac epilepticis motibus divexata, mensibus interim etiamnum rite fluentibus; Cum victus minùs exactā haberet rationem, incidit in febrim, singulis primùm, mox alternis tantùm diebus redeuntem. Rigor est fortis, quem sequitur calor nimium febriliter urgens, cum siti vehementissimâ, & linguæ aridi-

ariditate. Adſunt præterea vigiliæ, corporis inquietudo, & (quod quis miretur) quandocunq; paroxismus febrilis ægram invadit, Epilepticos illa motus, leviores tamen, per intervalla patitur: Unde virium lapſus & ſumma debilitas.

## RESOLUTIO.

QUamvis varij ſint morbi, quibus infeſtari passim ſolent homines, certum tamen eſt, ipsâ FEBRI nullum omnino eſſe frequentiorem; utpote à quâ nullius vel ſexus, vel ætatis, vel conſtitutionis homines eſſe immunes, fidisſima rerum judicatrix Experientia teſtatur. Et vel id ipſum docet propoſitus modo caſus honeſtæ matronæ, quam neq; ſequior ſexus, neq; provectior paulo ætas, neq; frigida & ſicca conſtitutio, à malo hoc immunem præſtare potuit. *In febrim* enim *incidit*, non quidem continuo affligentem, verumtamen per certa intervalla *ſingulis primùm, mox alternis tantum diebus redeuntem*. Itaq; cum extra dubium ſit, febri laborare ægram, eaq; intermittente, porro qualis nam ſit illa febris, diſpiciendum. Quamvis igitur initio *ſingulis diebus* febris redierit, atque adeò ratione periodi quotidiana potuerit videri: tamen duplicem potiùs fuiſſe tertianam, eamq; exquiſitam, aut exquiſitæ proximam, ex variis indiciis colligi haud difficulter potuit. Acceſſit enim Febris cum *rigore forti*, qui proprium eſt tertianæ febris τεκμήριον: Secutus *calor nimium febriliter urgens, cum ſiti vehementisſimâ, linguæ ariditate, &c.* Quæ omnia, ut bilis potiùs quam pituitæ aut melan-

Morbi ſpecies.

melancholiæ præsentis sunt indicia; ita febrem tertianam, quæ putrescentis bilis est soboles, non possunt non manifestare. Cui rei etiam testimonium perhibet satisl uc ulentum ipse eventus, & Tertianæ duplicis in simplicem mutatio, unde factum, ut cum initio singulis, post alternis tantum diebus, febrilis paroxismus ægram invaserit. Exquisitam verò esse hanc tertianam, aut exquisitæ proximam, indicio est vehementia symptomatum, utpote quæ aliàs in nothis & minus exquisitis, longè mitiora esse consueverunt.

Causa. Causa hujus febris proxima est vapor calidus, à putrescente bile, cordi, atq; inde universo corpori, communicatus. Antecedens ipsa bilis: quod ipsum cum febris species, tum paulo superius enumerata symptomata, satis superq; testantur. Adest nimirum *Rigor fortis*, à vaporibus acribus biliosis, acrimoniâ suâ membranas vellicanti bus, atq; naturam ad ejusmodi motum & concussionem stimulantibus: quem sequitur *calor nimium febriliter urgens*, ob vapores calidos, à putrescente bile ad cor primùm delatos, indeq; cum sanguine & spiritibus, per venas & arterias, universo corpori communicatos. *Sitis est vehementissima, cum linguæ ariditate*; & ipsa à calidis fuliginibus, ad os ventriculi, pulmones, & ipsas denique fauces, transmissis; qui absumpta ibidem humiditate, sitim excitant, faucesq; & linguam exsiccant, ac quodammodo exurnnt. Insuper *Vigiliæ sunt molestæ*, turbatis spititibus à vaporibus calidis & acribus, ac absumptis à calore nimio suavioribus exhalationibus, quæ aliàs spiritus animales blande sopire, & somnum inducere consueverunt: & *corporis inquietudo*, atque ut loquuntur, *jectigatio*, à calidâ & acri materiâ, musculosas partes vellicante atq; molestante. Confirmant

Sympto-mata.

id ipsum

id ipſum cauſæ remotiores, *Hepar* nimirum *calidius*, cujus culpâ pluſculum bilioſi humoris eſt generatum: & *victus ratio ſusq; deq; habita*, aſſumptis procul dubio ejusmodi alimentis, quæ ad hepar calidius delata, facilè in bilem converti potuerunt. Cæterùm quod ægra noſtra, *quandocunq; febrilis paroxismus eam invadit, epilepticos etiam motus, leviores tamen, per intervalla patitur*, id ipſum ad febrem ejusve cauſam neutiquam referri poſſe videtur. Cum enim inter omnes ferè conſtet, ad epilepſiæ generationem neceſſario requiri occultam quandam & malignam διάθεσιν, cujus culpâ vellicatum cerebrum atq; laceſſitum, adverſus hoſtem hunc ſibi infenſiſſimum inſurgit, ſeq; ac nervoſum genus contrahendo ac concutiendo, quicquid ſibi moleſtum eſt excutere atq; propulſare conatur; alium hujus mali quærendum eſſe fomitem, facilè cuivis apparet. Atq; rem ita ſe habere, vel inde patet, quod priùs etiam quàm febris illam invaderet, *Epilepticis motibus ſæpius fuit divexata*. Unde liquido conſtat, Epilepticam ejusmodi διάθεσιν etiam ante febris invaſionem apud ægram noſtram latitaſſe, adeoq; ad ipſam febrim epileptici hujus mali cauſam referri minime poſſe. Cum verò Affectus hic fiat, vel cerebro per eſſentiam laborante, vel per conſenſum partium inferiorum: arbitror omnino, in hac noſtrâ ægrâ, cerebrum non tam per eſſentiam laborare, quàm per conſenſum inferiorum partium, Uteri præſertim, & Lienis. Indicio eſt, quod omnia circa paroxiſmum ſunt leviora, quàm in iis, qui ex primario cerebri affectu Epilepſiâ laborant: &, quod in utero ejusmodi materia datur, quæ malum hoc excitare facilè poteſt. *Uteri* enim *præfocationi obnoxia eſt* ægra noſtra, quam inter & Epilepſiam, magna eſt cognatio, cum idem ille vapor, & ſpiritus malignus, qui præfocationis uteri autor eſt, ſi paulo altius aſcendat, & ad

caput

caput ac nervorum principium perveniat, epilepsiam quoque concitare possit. Symbolum tamen etiam suum conferre videtur *Lien*, *cujus affectibus ægra nostra* etiam *est obnoxia*. Frequenter enim melancholicos fieri epilepticos, & vice versâ, epilepticos melancholicos, vel Hippocratis & Galeni testimonio constat. Ut ita quemadmodum dixi supra, epileptici hujus mali fomes in utero præsertim & liene stabulari, jure merito videatur. Quod verò circa ipsos febriles paroxismos, epilepticos insultus patitur ægra, ratio hæc est, quod in liene & utero stabulantes, & jam epilepticam διάθεσιν nacti humores, quamdiu quieti manent, capiti & cerebro parum damni adferunt: Ubi verò accedente febrili paroxysmo, magna fit in corpore agitatio, adeoq; ipsos etiam, quos in dictis locis hærere jam dixi, malignos humores, aliquo modo agitari contingit; Tum verò noxios ejusmodi & virulentos eructant vapores, qui sacram Palladis arcem ingressi, epilepticos insultus pariunt: quos deinde, non minùs ac ipsam febrem, *virium lapsum & summam debilitatem* sequi, non est mirum. Atq; hæc de ægræ nostræ affectibus eorumque causis dixisse sufficiat. Proximum est, ut eorundem curationi me accingam. Et

Prognost.

quamvis illa difficillima futura videatur, cum ratione febris, utpote quæ ægræ nec naturæ nec ætati est congener: tum præsertim ratione motuum epilepticorum, quod Hippocratis testimonio, Comitiales morbi, aut convulsiones epilepticæ, quibus post pubertatem eveniunt, maximam partem commoriantur: ipsa tamen duplicis tertianæ in simplicem mutatio, & epilepticorum insultuum minor vehementia, curationis spem facit non exiguam, quam etjam auget, quod ægra, quamvis provectioris sit ætatis, & *quinquaginta circiter annos nata*, illo tamen naturæ bene-

ficio

ficio adhuc gaudet, quo aliàs fœminæ à varijs morbis vel præservari vel liberari consueverunt.

Ita autem commode institui posse videtur curatio, si humores in corpore abundantes & præparentur & tollantur, eorumq; generatio prohibeatur, vapores capiti molesti revellantur, eorumq; maligna & epileptica qualitas corrigatur, cerebrum & reliqua viscera roborentur, atque urgentibus interim symptomatibus prospiciatur. Indicationes.

Ante omnia igitur, quo reliqua præsidia eò rectiùs adhiberi possint, primæ viæ erunt evacuandæ; quod ipsum beneficio vel clysteris, vel lenientis medicamenti per os assumendi, poterit præstari. Clyster talis esse potest. Curatio.

*R. Rad. alth. unc. j*
*pæon. iust. temp. coll. drachm. vj*
*Herb. malv., melilot, meliss:*
*rut. an. M. j*
*Flor. chamæm., samb. an M. ß.*
*Sem. 4. frig. maj. an drach. j*
*pæon. drach. ij*
*Coqu. in s. q. aqu. Colat. lib. j. add.*
*Elect. Bened. laxat. drach. vj.*
*hier. simpl. unc. ß.*
*Ol. lil. alb. unc. j ß.*
*chamæm. drach. vj.*
*Sachar. Thom. unc. ß. M. F. Clyst.*

Vel si medicamentum leniens per os assumendum placet, paretur syrupus, qui

*R. Syr. de cich. c. r.*
*pom. c. fol. sen. an*
*drachm. V.*
*Aqu. cichor. Unc. j. ß.*
*Spirit. Vitriol. ex Mart. gut. V. M.*

Aut si magis arrident pilulæ

R. *Mass. pil. de ammon. ℈. scrup. j.*
*Faecul. pæon.*
*Sal absinth. essent. an gran. IV.*
*Resin. scammon Tenz. gr. ij*
*Cum mixt. simpl. q. s. F. Pilul.*

Quod si etiam Natura ad vomitum videatur inclinare, illi omnino erit subveniendum, in quem finem, Aqu. vomitor. Ruland., vel simile medicamentum, commode poterit propinari. Atq; ita expurgatis primis viis venæsectio erit administranda. Secabitur autem vena tali, utpote quæ præterquam quod sanguinis abundantiam, non minus ac brachij vena secta, potest minuere; insuper materiam in utero & vicinis partibus hærentem derivat, & ad caput ruentem quam optime revellit. Ac postea ad biliosi humoris præparationem & purgationem accedendum, ita tamen, ut & melancholici & pituitosi humoris aliqua habeatur ratio. Est enim ægra nostra *melancholicæ constitutionis*, quam procul dubio, præsertim cum *ventriculo sit imbecilliore*, pituitæ aliqua comitatur abundantia. Cæterùm ratione motuum epilepticorum, cum præparantibus, tum purgantibus commodè admiscebuntur, quæ specificâ qualitate Epilepsiæ medentur. Pro præparatione itaq; paretur tale medicamentum.

R. *Syr. de cich. s. Unc. ij.*
*aperit Minder. Unc. j.*
*de pom. s.*
*pæon. an drach. vj*
*Aqu. cichor.*
*acetos. an Unc. jv*
*flor. til., pæon. an Unc. ij*
*Spir. vitriol. drachm. ß.*
*M. pr. aliquot dos.*

Purgabitur autem corpus his pilulis

℞. *Mass. pil. de Tart. Q. gr. xv.*
*hier. c. agar.*
*Extract. rhabarb. an. gr. vij.*
*Fœcul. pœon., bryon. an. gr. v.*
*Resin. scammon Tenz. gr. ij.*
*Spir. Vitriol. ex Mart. gut. iij*
*F. Pil.*

Vel si pulvis placet

℞. *Spec. diaturb. c. r. drach. ß.*
*Sal. essent. absinth. gr. vij.*
*Fecul. pœon., bryon.*
*Tart. vitriol an. gr. iiij.*
*Resin scam. Tenz. gr. iij.*
*M. F. Pulvis.*

Purgato ita corpore, proxima erit cura, ne vitiosi humores porro generentur, aut generati ne colligantur: quod ipsum & commodâ victus ratione obtineri poterit, & sequenti nodulo, qui

℞. *Rad. pœon. i. t. c. drach. vj*
*aristol. rot. Unc. ß.*
*Cort. rad. cappar.*
*Visc. colurn. an. drach. ij*
*Herb. beton. scolopendr.*
*Cuscut. an. M. j*
*Flor. borrag. bugl. an. P. ij*
*Sem. pœon. drachm. ij*
*Fol. sen. s. s. Unc. j.*
*Rhabarb. opt. Unc. ß.*
*Agar. trochisc. drach. iij*
*Turb. gum. drach. ij*

*Sem. anis. drach. j ß.*
*Nuc. mosch., mac.*
*Cinam. an. drach. j*
*Spic. scrup ij*
*Incis. & contus. gr. m. d. pro Nod.*

emendatâ præsertim, si quæ adhuc restat, hepatis calidiore intemperie, hoc Electuario

*R. Conserv. ros. vitriol. Unc. iij.*
*rad. cich. Unc. ij.*
*Carn. citr. condit. Unc. j.*
*Spec. arom. ros. incompl. drach. ß.*
*diarrhod. Ab. incompl.*
*diatr. santal. an. scrup. j.*
*Spir. Vitriol. q. s. pr. suavi aciditate*
*Cum Syr. de Cich. s. F. Elect.*

quod hepatis fervorem extinguet, & languenti ventriculo nequaquam oberit. Cui tamen etiam commodo emplastro aut linimento poterit prospici. Ad putredinale fermentum vero expellendum, & epilepticam dispositionem emendandam, utilissimum erit sudoriferum.

*R. C. C. philos. præp. drach. j.*
*Sal. absinth. essent. drach. ß.*
*Antim. diaphoret.*
*Fœcul. pæon., Magist. Lun.*
*Cran. hum. præp.*
*Ungul. alc. præp. an. scrup. ß.*
*M. F. Pulvis.*

Cujus quarta pars ante paroxismum detur, cum cochleari uno atq; altero sequentis liquoris.

*R. Aq. fumar. Unc. iij*
*ceras. nigr.*
*fl. til. an. Unc. j. ß.*
*Mixt. simpl. drach. j. M.*

Poterit etiam ratione putredinalis fermenti, carpo applicari seq. unguent.

R. *Unguent. popul. Unc. ß.*
*Tel. aran. drach. iij.*
*Pulv. oliban. drach. ij*
*Sal. drach. j.*
*Cum Therebinth. q. s. F. Ungu.*

Capiti etiam, nec minus cordi & ventriculo roborando inservient Morsuli.

R. *Spec. pro Morf. Imp. f. Mosch. Unc. ß.*
*Nuc. mosch. cond.*
*Myrob. chep. condit. an. drach. ij*
*Conserv. rad. pœon. drach. iij*
*Corall. r. præp. drach. ß.*
*Cran. hum. præp.*
*Corn. alc. philos. præp. an. scrup. j*
*Sach. in aqu. fl. til. solut. q. s.*
*F. Morsuli.*

Interim & dum hæc aguntur, non negligenda urgentia symptomata, sed illis etiam commodis medicamentis occurrendum. Ad sitim itaq; extinguendam, & linguæ ariditatem emendandam, paretur Julapium.

R. *Decoct. hord. c. C. C. fact. libr. j. ß.*
*Aqu. cichor., acetos.*
*, fragor. an. Unc. iij*
*Syr. acetos. citr. Unc. j. ß.*
*ribium.*
*de pœon. an. Unc. ß.*
*Spir. Vitriol. q. s. pro suavi acid.*
*M.*

Utile hic etiam erit Electuarium ad hepatis fervorem præscriptum. Potest etiam Lapis prunellæ in aquâ dissolvi,

& pro collutione oris usurpari. Ad arcendas vero vigilias, & restaurandas quodammodo vires, conveniet Emulsio

℞. *Amygd. d. excort. Unc. j*
*Sem. 4. frig. maj. Unc. ß.*
*papav. alb. drach. iij*
*Fiat. l. a. Emuls. cum*
*Decoct. hord. c. C. C. fact. lib. j.*
*Aqu. fragor, borrag.*
*nymph. an. Unc. iij* *Add.*
*Syr. de papav. Unc. j*
*Man. Chr. perlat. drach. iij.* *M.*

Vel ad virium imbecillitatem præparetur hic Liquor.

℞. *Aqu. perlar. Unc. vj.*
*borrag.*
*fragor. an. Unc. iij*
*Magister. corall.*
*Spec. diatr. sant. an. drach. j.*
*M. pr. aliquot dos.*

Cordis etiam regioni & carpo utriusq; manus applicetur Epithema

℞. *Spec. cord. temp. drach. j.*
*Aqu. borrag. bugl. an. Unc. iij*
*nymph. Unc. ij*
*Acet. sambucin. Unc. ß.* *M.*

Quibus omnibus adjungenda commoda victus ratio. Aër sit purus, & quantum fieri poterit, temperatus, Venti & radij lunares fugiantur, Cibi sint concoctu faciles, non saliti nimium, nec calidioribus aromatibus conditi; sed cum acetosâ potius, asparago & similibus herbis parati. A dulcibus vero, & quorum facilis est in bilem transitus, præsertim verò ab ijs, quæ peculiari proprietate epilepsiam concitare putantur: ut sunt petroselinum, carnes hircinæ aut

aut caprinæ, allium &c. abſtineat. Potus nec calidior ſit, nec vaporum copiâ capiti moleſtus, quo nomine à vino, niſi tenuius fuerit & parum vinoſum, abſtinendum cenſeo. Cæna ſit parcior; Somno non niſi aliquot horis poſt paſtum utatur: Alvus ſemper aperta ſervetur, atq; ut menſtrua purgatio ſingulis menſibus rite fiat, curetur. Animi affectus vehementiores vitentur, imprimis ab irâ & terrore ſibi caveat, cum vix quicquam in concitãdâ Epilepſiâ efficacius ſit ipſo terrore: quod ipſum nõn Medicorum ſaltem obſervationes, ſed & quotidiana experientia ſatis ſuperq; teſtatur. Tantum.

## Corollaria.

An detur Epilepſia Periodica? A.
An detur Epilepſia contagioſa? A.
An in paroxiſmo Epileptico quandoq; venam ſecare liceat? A.

SOLI DEO GLORIA.

